



ΕΞΗΓΗΣΙΣ

39 4
Aphorismi Paulini
ex 1. Tim. 3. v. 16.

*Manifestè magnum est pietatis mysterium:
Deus manifestatus est in carne, justifi-
catus in Spiritu, &c.*

Publici exercitii gratiâ proposita
in Academia Wittebergensi,

PRÆSIDE

FRIDERICO BALDUINO,
SS. Theol. D. Professore, Pasto-
re & Superintendente.

Respondente

M. BALTHASARE BALDUINO,
Præsidis filio.

*Habebitur Disputatio σὺν θεῷ, d. 6. Decemb. anno 1626.
in Auditorio ma, ori, horis matutinis.*



WITTEBERGÆ,
Typis Jobannis Gormanni. Anno 1626.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]


[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



opulentes fuit à 7 usq
2. II. opposuit
suis oboritur
Kochung Nigring.
Kocher.
A. D. Meilman.





Ἐξήγησις

Dicti Apostolici

1. Tim. 3, 16.

Manifestè magnum est pietatis mysterium, &c.

Thesis I.

Animus nobis est, magnum illud pietatis mysterium, quod Apostolus gentium omnibus, qui nomen Christi profitentur, commendavit, piâ curâ accuratiùs expendere, cum non dubitemus, inventuros nos ibi Jesum Christum, Immanuelem, & Salvatorem nostrum, Scopum fidei & fundamentum salutis nostræ, quem in omnibus sacrarum literarum paginis quærere, fas est, & Christiano homine dignum.

II.

Quia verò diversitas lectionis in originali & translato textu diversitatem sensus peperit, operæ pretium est, ipsum præmittere textum, & in originali lingua, & in versionibus. Ita ergo habet Græcus textus, qui originalis est:

Ὁμολογημένως μέγα ἐστὶ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, ἐνδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἠπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ.

Versio latina huic textui exactè congruens ità sonat:

Citra controversiam magnam est pietatis mysterium. Deus manifestatus est in carne, justificatus in Spiritu, conspectus ab angelis, predicatus in gentibus, creditus in mundo, assumptus in gloriâ.

A 2

Syrus



Syrus interpres ita legit:

וְשִׁירָאֵת רַב הוּ אֲרָא הָנָא רְכָאנוּתָא דְאַתְנֹלִי בְּבִיד
וְאֲנֹדֶק בְּרוּם וְאַתְחֹוֹ לְמַלְאכָא וְאַתְחֹוֹ בִּיתְעֵימָא
וְאַתְחֹוֹ בְּעֵלְמָה וְאַתְחֹוֹ בְּשׁוּבְחָהּ:

Latina versio Guidonis Fabricii Boderiani hæc est: *Et certe magnum est hoc arcanum iustitia, quod (Deus) manifestatus sit in carne, & justificatus in spiritu, visusq; angelo, & predicatus inter gentes, & creditus in mundo, deniq; assumtus in gloria.* Vetus deniq; translatio, quæ vulgo Hieronymo adscribitur, ita sonat: *Manifeste magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelo, predicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria.*

III.

Latina versio vulgata, ut & Syra, omittunt vocabulum Dei, quod tamen in versione latinâ Syriaci textus supplevit interpres: pleriq; autem latini interpretes substituerunt in locum, Dei, relativum *o*, quod: magnum est pietatis mysterium quod manifestum est in carne. Quo pacto legunt plurimi ex patribus Latinis, *Ambrosius* in Commentario, *Fulgentius* lib. 1. ad Trasymundum, *Leo* Serm. 8. de Natal. Domini, *Gregorius* lib. 34. Moral. c. 7. Quam lectionem ex recentioribus mordicus defendit *Erasmus* in Annotationibus N. T. ubi addit: *mibi subolet, Deum, additum fuisse adversus hereticos Arianos.*

IV.

Sed mirum, quomodo viri docti relativum *o* in textum intrudere, & *θεός* eliminare potuerint, cum Græci codices omnes miro consensu legant, *Deum manifestatum esse in carne*, quam lectionem etiam Græci Patres, *Chrysostomus*, *Theophylactus*, *Theodoretus*, & alii magno consensu retinent. Verisimile autem est, hanc vocem potius ab Arianis aut Pnevmatomachis expunctam, quam ab orthodoxis contra Arianos textui insertam fuisse. Non enim orthodoxorum est, textum Biblicum ad convincendos Adversarios corrumpere.

V. Cer-

V.

Certe *Liberatus* Carthaginensis Archidiaconus autor est in *Breviario cap. 19.* locum hunc à Macedonio fuisse corruptum, ut Nestoriano errori patrocinaretur, quemadmodum etiam circa locum *1. Ioh. 4. 3.* omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex DEO non est, factum esse legitur apud *Socratem lib. 7. cap. 32.* Ea enim verba in antiquis codicibus extitisse, ubi scribitur, sed ablata fuisse ab iis, qui separare voluerunt ab hominis dispensatione divinitatem.

*exemplum hinc
in Concil. An-
c. III. scribitur
per Vigilius Ep.*

VI.

Etsi verò ex patribus nonnulli vulgatam illam versionem, quæ vocem DEI non habet, retinuerunt, nihilominus tamen hunc Pauli locum de Incarnatione Filii DEI acceperunt; in quo se magnum illud mysterium pietatis pandit, quod & angeli adorant, & nulla hominis ratio percipere potest. Ita enim scribit Ambrosius in symbol. Apostol. *Hoc est ergo magnum pietatis mysterii Sacramentum. Nam declaratum est in carne, ut rerum manifestavit eventus, quod in mysterio latebat. Ita gentium doctor enunciavit: Iustificatum autem spiritu claret, quoniam mediator DEI & hominum, homo Christus Iesus non solum speranda, sed & capeffenda testimonio veritatis in nativitate carnis, qualis esset, resplenduit, ita in ascensione assumptum in gloria, celebratum est obsequio angelorum: & ideo non est despicienda carnis humana natura, quæ in Sanctæ Trinitatis substantiam atq; consortium per Dominum Christum ingredi meruit. Eodem modo scribit Fulgentius lib. 1. ad Thrasymundum: Certum est, panè omnis hereticæ pravitate errores insurrexisse, dum magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, aut sicut est, non credunt, aut omninò non credunt. Sic Leo sermon. 18. de Natali Domini: Quid tam exitiabile, quàm negatâ veritate Incarnationis Christi, omnem spem salutis humanæ velle dissolvere, & Apostolo velle contraire dicenti, manifestè magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.*

VII.

Hi enim patres relativum, quod, non referunt ad doctrinam Evangelii, ut hodie nonnulli faciunt, sed ad ipsum mysterium incarnationis, seu ad apparitionem Christi in carne, quæ

ineffabilis est omni sermone, & omni ignota intelligentia, ipsi quoque angelorum primati incognita, ut hierarchiarum scriptor Dionysius loquitur de divinis nominibus cap. 2. Quæ quidem sententia etsi textui non admodum est conveniens, nihil tamen vel absurditatis, vel impietatis habet. Sunt autem aliæ nonnullorum interpretationes, quæ textum hunc Apostolicum ab Incarnatione filii DEI sequestrant, & in alienum planè sensum detorquent: quæ removendæ prius sunt, quàm ad genuinam textus explanationem accedamus.

VIII.

Quidam non admittunt vocabulum, DEUS, ut Enjedinus in explicat. locorum scripturæ pag 367. Is Paulum loqui existimat de ministerio Evangelii, & hoc velle, quod doctrina Evangelii de receptione gentium citra ceremoniarum legis & circumcisionis observationem, in numerum filiorum DEI, prius occulta, nunc manifestata sit universo mundo, per imbecilles & viles homines, sed tamen justificata seu approbata in spiritu seu per Spiritum sanctum cælestis missum, & in apostolos effusum, visa ab angelis, quia hi introspicere in Evangelium desiderant, predicata gentibus, signis ac prodigiis comprobata, & à gentibus credita ac recepta in gloria vel gentium vel DEI. Eodem modo exponit hoc dictum Christophorus Ostorodus disp. 2. cap. 5. cont. Tradelium, & Erasmus Roterodamus in annotat. super hunc locum, & adhuc clariùs in Resp. ad Annotationes Edvardi Lei num. 203. ubi hæc habet: Quod antè fuit arcanum, cepit esse publicum prædicatione: & quod prius latebat, assumptum est in gloria. Hæc omnia, quæ prius promissa erant de Christo, ac deinde facta sunt in Christo, prius erant mysteria, paucis aut nullis cognita, mox apostolorum prædicatione toti vulgata orbi.

IX.

Huic interpretationi opponimus primùm vocabulum θεός, quod omnes codices græci habent: de manifestatione ergò Dei sermo est, non Evangelii. Deinde Paulus hic mysterium prædicat, sine controversiâ magnum, & quidem quod olim non innotuit. Doctrina autem Evangelii per viles ac imbecilles homines prædicatam esse, neque mysterium adeò magnum, neque novum est, nam & olim prædicatum fuit per Prophetas, qui æquè viles

viles ac imbecilles fuere homines, ac Apostoli. Præterea etiam si
angeli dicantur introspicere in Evangelium 1. Pet. 1. 11. non tamen
dicitur Evangelium ab ipsis conspectum, multò minus in gloria
adsumtum: falsum etiam est, quod Evangelium de Christo rece-
ptum sit à gentibus cum gloriâ: illæ enim contemserunt potius &
persecutæ sunt illam doctrinam, quia prædicatur Christus cruci-
fixus Judæis scandalum, gentibus stulticia 1. Cor. 1. 23. & quàm pe-
riculosis persecutionibus inter gentes D. Paulus imprimis fuerit
expositus, & Acta Apostolorum testantur Act. 9. 18. 19. & ipsemet
non diffitetur 2. Cor. 11. 26.

X.

Alii retinent quidem in nostro textu vocem DEUS, sed di-
versimodè, ubiq; tamen erroneè exponunt. Enjedinus, si vox
Dei retinenda sit, Deum patrem intelligendum esse, scribit, qui manife-
stus sit in carne, hoc est, per viles & abjectos homines, Christum & Apo-
stolos, quando mirifica & magnifica opera ac consilia sua abdit a homini-
bus per illos patefecit, secundum illud: Nemo novit patrem nisi filius, &
cui filius voluerit revelare: qui videt me, videt patrem; & de Apostolis di-
cit Paulus 1. Cor. 4. 1. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & di-
spensatores mysteriorum Dei 2. Cor. 5. 18. Hunc Deum justificatum, ait,
cum pro justo ac verace fuit habitus ac laudatus: idq; in spiritu, hoc est,
spiritualiter, interna spiritus operatione ac efficaciâ, non externo modo,
aut externa violentia: conspectus fuit ab angelis, quia angeli abscondi-
tum Dei decretum post prædicationem Evangelii agnoverunt: prædicatus
est gentibus, quæ aliàs alienæ erant à Deo; & tandem creditus, ac rece-
ptus in mundo gloriosè. Hæc Enjedinus.

XI.

Quæ omnia contorta sunt & ἀόρατα, quæ vix cuiquam
in mentem venirent, nisi qui magnum illud pietatis mysterium
datâ operâ evertere, aut ad minimum in dubium vocare, sta-
tuit. Paucis autem ea examinabimus (1.) D. Paulus agit de
magno & quidem citra controversiam magno mysterio: DE-
UM autem patrem esse manifestatum, nihil habet mysterii, quia
τὸ γνωστὸν θεῶν manifestum etiam est in gentibus, DEUS enim
eis manifestavit Romanor. 1. vers. 19. Unde est naturalis DEI
notitiâ,

notitia, qua etiam gentes non destituuntur, & ad eam peculiari
 predicatione aut revelatione Apostolorum opus non fuit. (2.)
 Christus & Apostoli etsi contemti fuerunt, in mundo, non tamen
 solis illis hoc scriptura tribuit, nam & Prophetæ, per quos Deus
 opera & consilia sua hominibus patefecit, tales fuerunt. Neque
 Apostoli absolutè in scriptura usquam vocantur caro: neque Deus
 per Christum aut per Apostolos hic manifestatus dicitur, sed *in*
carne: neque necesse est, vocabulum *carnis* exponere de vilitate
 aut contemtibili conditione. Illud enim æquè frequenter signi-
 ficat ipsam hominis naturam ac vilem ejus conditionem. Vide
 Joel. 2, 18. Matth. 24, 22. Marc. 13, 20. Luce 3, 6. Act. 2, 3. Rom. 1, 3. Act. 2,
 31. &c. Falsum ergo est, quod Eusebius scribit, id quod 2. Cor. 4.
 dicitur: *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, idem esse, ac hoc:*
Deus manifestatus est in carne: Quis enim tam audaci interpreti si-
 ne ratione hæc dicenti fidem habeat? (3.) ejusdem temeritatis
 est, quod illud, *in spiritu*, externæ violentiæ oppositum, scribit, cu-
 jus rei nullum producere potest exemplum. Et quis quæso sen-
 sus erit? Deus justificatus est in spiritu, hoc est pro justo ac vera-
 ce fuit habitus non externâ violentiâ, sed operatione & efficaciâ
 spiritus. Nemo enim violenter pro justo ac verace haberi potest.
 (4.) Cum Deus ab angelis conspectus dicitur, non agitur de ra-
 tione decretorum divinorum, sed de visione ipsius Dei in carne:
 quemadmodum & receptio Dei hic locum non habet. Etsi enim
 græca vox ἀναλαμβάνειν in scriptura significat non tantum
 assumi in altum, sed & recipi & assumi simpliciter: vix tamen
 exemplum dari potest, ubi Deus recipi dicatur: de Christi vero
 adscensu in cælos aliquoties usurpatur, ut Marc. 16, 19. Act. 1, 2, 11.
 unde & adscensio Christi in cælos vocatur ἡμέραι της ἀναλή-
 ψης αὐτοῦ tempus assumptionis suæ. Luc. 9, 11. Cur autem hoc in
 loco ista vox non sit exponenda de assumptione Christi in cælum,
 nulla est ratio, præsertim cum addatur, adsumtum ipsum esse in
 gloriâ, ad quam per suam in cælos adscensionem intravit.

XII.

Catechismus Rackoviensis pag. 113. per Deum in præsentī
 Apostoli loco intelligit *voluntatem Dei, concernentem salutem no-*
stram

stram: hanc enim manifestatam, ait, per homines mortales, & pro verâ agnitam per miracula & virtutes, angelis notam, gentibus prædicatam, creditamq; & cum gloriâ receptam.

XIII.

Sed & hæc mira est perversio textus tam clari. Nuspiam enim DEUS idem est, ac voluntas DEI, neque de hujus manifestatione Paulus loquitur. Agit enim de mysterio N. Testamenti: voluntas autem Dei de hominum salute, etiam in Veteri Testamento nota fuit. Nullibi etiam in sacris literis revelatio voluntatis divinæ vocatur manifestatio Dei in carne. Fictum est, quod obtrudere audent isti hæretici Christiano orbi. Paulus scribit, Evangelium fuisse mysterium æternis temporibus tacitum, nunc autem revelatum per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei *Roman. 16. v. 26*: quæ res potius illustrem ejus manifestationis gloriam significat, quam carnalem infirmitatem. Nam D. Petrus testatur, prophetiam nullam humanâ voluntate allatam esse, sed Spiritu sancto inspiratos locutos esse sanctos Dei homines *2. Petr. 1. 21*. Si ergo de manifestatione voluntatis divinæ agere voluisset Apostolus, rectius dixisset; Deus manifestatus est in spiritu, quam in carne. Reliqua membra textus eodem modo, quo ab Enjedino factum, pervertuntur, cui jam responsum est.

XIV.

Valentinus Smalcus contra D. Franzium *disp. 3. pag. 65.* locum hunc primum de DEO patre commodissime intelligi posse ac debere scribit; & post unam atq; alteram lineam totum hunc textum ad mysterium pietatis referri posse contendit, eo quod vox Deus in exemplaribus quibusdam non reperitur.

XV.

Ubi nota primùm constantiam istorum hominum: deinde etsi non negamus, Apostolum de mysterio pietatis agere, illud tamen mysterium non consistit in manifestatione patris, quæ nec mysterium est, nec in Novo demum Testamento facta: imo nuspiam legitur, Deum patrem in carne manifestatum esse. Ipse dicitur mittere filium in carnem; ergo non manifestatur

B

in



in carne. Rom. cap. 8, 3. Gal. 4, 4. Soli filio immediata manifestatio in carne tribuitur 1. Ioh. 4, 2. 3. is dicitur in carne venisse, & in hoc manifestatus, ut destrueret opera Diaboli, 1. Ioh 3, 8. & ipsa vita manifestata, 1. Ioh. 1, 2.

XVI.

Sed nondum finis corruptelarum. Franciscus Davidis in colloq. Transylvano aet. diei 3. locum hunc exponit quidem de manifestatione Christi, sed hoc sensu, quod Christus sit Deus, in carne manifestatus, & in gloriam assumptus, & gentibus prædicatus; Verùm hac ratione invertitur Apostoli propositio, in qua vox Dei subjecti locum habet, de quo prædicatur, quod sit manifestatus in carne. Franciscus verò prædicatum ex eo facit, contra clarum textum, qui hoc magnum vocat mysterium, non quod Christus est Deus, sed quod Deus est manifestatus in carne.

XVII.

Et quid quæso mysterii; & quidem magni mysterii est in eo; quod Christus in carne, hoc est, in humili sua conditione manifestatus, & tandem in gloriam assumptus fuit? hoc enim & Prophetis & Apostolis quoque accidit, & à nemine negatum fuit, qui modò historiam de Christo novit.

XVIII.

Cum ergo hæ Adversariorum *ῥησιμῶν* interpretationes omnes meræ sint elusiones, & detorsiones textus: restat, ut de vero sensu nostram dicamus sententiam. Est autem hic locus nervosa epitome veræ Christologias & *οἰκονομίας*, sicut Ecclesia græca mysterium de Christo appellavit, ubi per distincta membra orthodoxa doctrina de Christo concinnè proponitur. Primum est Christi incarnatio: secundum ejus exinanitio & sequens exaltatio; tertium, angelorum exhilaratio; quartum universalis de Christo prædicatio; quintum, ejus per fidem applicatio: & deniq; ejus in cælos assumptio.

XIX.

Quia verò res magna est, ideò attentionem movet, dum hæc omnia, quæ hic breviter attingit, *ὁμολογηθῆναι μέγα μυστήριον* appellat. Mysterium vocat; (quod latinus interpres in
vulgata

vulgata versione, barbarâ voce sacramentum reddit) quia ab intellectu rationis nostræ remotum. Est enim mysterium à μύω, claudio, occludo, quia audientes illud os occludere, & tanquam rem occultam celare debent: vel, ut Flacio placet, est ab Hebræo Satar, quod etiam est occultare, & significat rem per se arcanam, attamen religiosam, quæ ab humana ratione, sine divina patefactione, & Spiritus sancti lumine, percipi nequeat. Magnum est mysterium, quia multa alia arcana Dei superat. Est enim ὑπὲρ νόον, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν κατὰληψιν. Citra controversiam magnum, quia nemo negare potest, rem tantam, quam dicturus erat Apostolus, omnem rationis decempedam quam longissimè excedere, & nisi revelatum fuisset, neminem crediturum esse, unde tot sunt hæreses, quibus Diabolus hanc doctrinam oppugnavit.

XX.

Hujusmodi mysterium est doctrina de λόγῳ incarnato, & quidem pietatis mysterium, quia non tantum in sese res pia est, sed & ad pietatem maximè invitat: ideò bonitas illa Dei in missione filii declarata erudire nos dicitur, ut abnegata impietate sobriè, justè, piè, vivamus in hoc seculo Tit. 2, 11.

XXI.

Primum membrum Apostolicæ Christologiæ est *Incar-natio τῆς λόγῳ*, de qua Paulus ita loquitur: *DEUS est manifesta-tus in carne*: in græco est ἐφανερώθη, apparuit: quæ voce utitur D. Johannes, cum de apparitione ἑῷ λόγῳ in carne loquitur 1. Iohan. 1, 2. & cum de causa adventus Christi in carnem agit cap 3, 8. in hoc apparuit, inquit, filius Dei, (ἐφανερώθη) ut dissolvat opera diaboli. Intelligit ergo Apostolus illam filii Dei manife-stationem, quæ tempore incarnationis facta, ubi Verbum caro factum, & filius Dei in mundum missus fuit, natus de muliere Ioh. 1, 14. Gal 4, 4. Dei ergo vox relatè accipitur, de secunda per-sona Trinitatis, sicut Act. 20, 28: caro usurpatur hic de natura hu-mana, sicut Gen. 6, 12. Joel. 2, 18. Sap. 7, 1. Luc. 3, 6. Matth. 24, 22. Act. 2, 17. Hinc talis resolvitur propositio: *Magnum est mysterium, quod filius Dei homo factus est.*

XXII.

Veritatem hujus sententiæ ita probamus: (1.) quia melior interpretatio sine violentâ textus detorsione dari nequit, ut jam in remotione falsarum interpretationum vidimus: nostra verò absque ullo impedimento per se fluit (2.) quia hoc est verè ὁμολογῶν μὴ μυστήριον, quod quia intellectum omnem superat, ideo tanto conatu, quanquam irrito, à ratione impugnatur. (3.) quia Paulus loquitur de manifestatione Dei tempore N. Testamenti facta: voluntatem autem suam & decretum de salute nostra factum (de quo Photiniani textum hunc interpretantur) etiam temporibus Veteris T. patefecit: ideo Evangelium vocatur mysterium per Prophetarum scripta revelatum *Roman. 16, 26*. Incarnatio verò filii temporibus Novi Test. reservata fuit. Nam cum veniret plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum de muliere factum sub lege *Galat. 4, 2*. (4.) quia nec Deus pater, nec voluntas, aut decretum ejus, multò minus doctrina Evangelii ab angelis in carne inspecta fuit; CHRISTUM autem in carne, seu secundum humanam naturam ab angelis inspectum esse ex scriptura notum est. (5.) quia adsumtio in gloriâ nemini rectius, quàm Christo incarnato competit. (6.) quæcunque hic de Deo prædicantur, scriptura simpliciter omnia ad Christum refert. Nulla ergo ratio tam firma est, quæ nobis aliam expositionem loci Apostolici persuadere possit, multò minus tam contortis, violentis & ex parte ridiculis interpretationibus, quæ non nisi ex præconcepta opinione sunt, cedendum est.

XXIII.

Etsi verò hæc conscientias piorum hominum satisfacere possunt: habet tamen Enjedinus nonnulla, quæ expositioni nostræ opponit. Primum, ait, nostram interpretationem esse contra scopum Apostoli, qui in presente textu agit, de officio Episcoporum, & celebrat Ecclesiam, ut Timotheum ad diligentiam & vigilantiam excitet: propositum ergo Pauli non ferre, nec requirere necessitatem, ut hic de incarnatione disputetur.

XXIV.

XXIV.

Resp: Non negamus, Paulum commendare Timotheo tanquam Episcopo Ecclesiam ut domum Dei, & columnam veritatis. Facta autem mentione veritatis, summam ejus addit, quæ consistit in maximo illo mysterio, quod Deus in carne sit manifestatus. In eundem ferè sensum Chrysostomus super hunc locum scribit, *Apostolum prædicare hoc mysterium in commendatione Ecclesie Novi Testamenti, ne quis ei Synagogam Iudaicam cum insignibus suis ornamentis præponeret. Nec velim, inquit, mibi tintinnabula illa obijciat, neq; sancta sanctorum, neq; Pontificem, columna est orbis Ecclesie, animadvertite mysterium, & venerationis horrore moveberis.* Ex his constat, non fuisse inconueniens hic, cum Ecclesia tanquam firmamentum veritatis commendabatur, etiam de Incarnatione Filii Dei agere & ejus consequentibus: quia hæc est summa illius veritatis, quam Timotheo commendauerat. Neque verò penes hæreticos est, præscribere Apostolo, quo ordine, & quo in loco doctrinæ Christianæ capita proponere debeat.

XXV.

Deinde de hoc loco scribit Enjedinus: *Veteres, qui contra Arium acriter pugnarunt, in hoc testimonio nihil præsidii collocasse, recentiores autem Theologos præcipuum firmamentum divinitatis Christi collocare: quod ex eo videtur contigisse, quia illi antiquam & veram, quæ etiam hodie in veteris interpretis versione habetur, hi vero Græcam & corruptam loci hujus lectionem amplexi sunt.*

XXVI.

Audax hæc est assertio, cui opponimus D. Athanasium, quo inter eos, qui olim contra Arium scripserunt, nemo fuit acrior. Is verò præsidium sanè non postremum in hoc loco ponit, quem & ex Græco codice allegat in principio libri sui de Incarnatione Verbi, contra Paulum Samosatenum: *Ἀὰ τὸ το, inquit, ὁ μακάριος Παῦλος ἔλεγε: ὁμολογεῖν ὡς μέγα μυστήριον. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, &c.* Ambrosium quoque totum hunc locum ad Incarnationem ἔλεγε referre, supra audivimus.

B 3

XXVII.

XXVII.

Tertiò, ait idem hæreticus. *Deus hic in carne manifestatus dicitur conspectus esse, visus, justificatus, assumtus in calum quæ λόγῳ eterno, infinito, omnipotenti non competunt, qui invisibilis est spiritus, & omnia complet.*

XXVIII.

Resp. Oritur hæc exceptio ex ignorantia Scripturarum, quæ admirandam duarum naturarum in Christo unionem & inde resultantem communicationem idiomatum docent. Nam videri, & in cælum assumi, propria sunt humanæ naturæ, τῷ λόγῳ æterno omnipotenti ac infinito tribuuntur propter unionem, cum carne, & secundum carnem, quemadmodum filius Dei ex femine Davidis esse dicitur, secundum carnem, Rom 1, 3. & Christus passus dicitur in carne, 1. Petr. 4, 1. Sic & Johannes testatur, vidisse discipulos gloriam, quasi unigeniti à Patre, cum Christum vidissent; imò vidisse, tetigisse & audiisse verbum vitæ, 1. Iohan. 1, 14. quia λόγῳ in assumta carne fuit conspicuus & reliquarum proprietatum humanæ naturæ particeps.

XXIX.

Porro objicit hæreticus: *Manifestari in carne ideo non esse idem ac Incarnari, quia vita Iesu manifestari dicitur in carne seu corpore piorum, 2. Corint. 4, 10. Paulus manifestatus in Corinthiis, 2. Cor. 11, 6. gloria Christi manifestata in conversione aquæ in vinum, Iohan. 2, 11. nec tamen vita Christi est Incarnata, nec Paulus Corinthiis hypostaticè unius, nec gloria Christi in aqua vel in vino.*

XXX.

Lusus & jocus diaboli hic est in re maximè seriâ, ortus ex ignorantia phraseos. Paulus in nostro textu non agit promiscuè de manifestatione quarumvis rerum aut personarum: sed de manifestatione DEI, non de manifestatione vitæ DEI; & quidem de manifestatione in Carne, non in piorum carne, neque enim hoc additur, sed in ea carne, in qua conspectus & in gloria assumtus est, quæ vocari potest propria Dei caro, sicut sanguis

guis

guis proprius ejus sanguis appellatur, *Actor. 20, 28.* Deinde agit de tali manifestatione Dei, quæ magnum sit mysterium: ergo longè alia & sublimior manifestatio hîc intelligenda est, quam in locis illis, quæ impertinenter allegantur. Qualis autem ea sit manifestatio Dei in carne, illa Scripturæ dicta ostendunt, in quibus Deus ille, qui hîc in carne manifestatus esse, seu apparuisse scribitur, in similitudinem carnis peccati missus, *Rom. 8. v. 3.* ex muliere natus, *Galat. 4. v. 1.* in mundum venisse, *Iohan. 16. v. 28.* in carnem venisse, *1. Iohan. 4. v. 2.* caro factus esse, *Iohan. 1. v. 14.* legitur; quæ omnia non Deo Patri, non alicui Apostolorum, aut aliorum hominum, sed soli Deo filio competunt, & Incarnationem τὸ λόγος notant.

XXXI.

Et si ergo plures sunt modi, quibus aliquid manifestari & innotescere dicitur, de quibus allegata exempla hæretici loquuntur: hîc tamen agit Apostolus de tali manifestatione, quæ Deo propria, & citra controversiam magnum est mysterium, & quidem Novi Testamenti mysterium: idcirco reliqui manifestationum modi cum eo nihil commune habent: facile enim concedimus, hanc manifestationem esse μονότροπον καὶ ἐξαιρέτην, nec habere simile exemplum in naturâ, & hanc ipsam ob causam ὁμολογῶντως μέγα μυστήριον appellari. Vitiosissime igitur colligitur à vulgaribus manifestationum modis aliarum rerum, ad μονότροπον illam manifestationem τὸ λόγος, quæ magnum mysterium ab Apostolo dicitur, & ex similibus Scripturæ phrasibus, quas modò attigimus, explicanda est: unde incarnatio sponte sua sequitur: quæ in reliquis dictis locum habere nequit.

XXXII.

Discussis ergo omnibus, quæ Adversarii primo membro dicti Apostolici opponunt, relinquitur, textum hunc suppeditare illustre testimonium de Incarnatione Filii Dei, quam Græci vocant ἐνσάρκωσιν, ἐνσωμάτωσιν, ἐνωκθρώπησιν, Ἰησ.

Ἰηδοσιν; Scriptura vocat ἐνοικησιν τῷ λόγῳ. Col. 2, 9. κατὰ θεσιν,
ἐκ ἑρραῖς, Johan. 6, 33. Athanasius vocat ἐπιμύθιασιν, investi-
tionem: usitatum enim erat veteribus, dicere, in Incarnatione
λόγον ^{divinam} induere naturam. Ignat. in Epistola 2. ad Trallianos,
Cyprianus de idolorum vanitate, idq; duabus potissimum de causis;
(1.) ut significarent, hanc carnis susceptionem factam fuisse, si-
ne ulla τῷ λόγῳ susipientis aut carnis susceptæ mutatione. Sicut
in versu dicitur:

Sum, quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor utrunq;

Unde est illud Ambrosii de fid. contra Arian. cap. 8. cum homi-
nem induit, substantiam non mutavit. (2.) ut indicaret, quomodo sub
illa carne latuerit deitas, videlicet, ut homo sub veste; idq; no-
stri causa, cum alias immensum deitatis splendorem ferre non
potuissemus: ideo in carne manifestari dicitur, hoc est, per In-
carnationem, & per opera illa miraculosa, quæ per carnem tan-
quam proprium suum organum operatus est.

XXXIII.

Est autem Incarnatio duarum naturarum in Christo, divi-
næ ac humanæ, in unitate personæ arctissima, inseparabilis, &
indistans conjunctio, qua Filius Dei, naturam humanam pro-
pria personalitate destitutam in unitatem suæ personæ assumpsit,
ita ut naturam adsumtam majestatis suæ participem redderet,
sibiq; infirmitates carnis pro tempore appropriaret: qua ratio-
ne Deus invisibilis factus est nobis visibilis, & qui in Scriptura
vocatur DEUS absconditus, Esaiæ 45. v 15. manifestatus est in
carne.

XXXIV.

Etsi verò Incarnatio & Unio naturarum in Christo ma-
gnam inter se convenientiam habent; in eo tamen differunt,
quod unio est utriusq; naturæ, quæ in unum ὑψίστου arctissi-
mè & modo ineffabili coeunt: Incarnatio tantum est unius na-
turæ, nimirum divinæ, quæ humanam in se ἀνυπόστατον adsum-
sit in unitatem suæ personæ, & ad sublimem suæ majestatis di-
gnitatem ineffabiliter evexit.

XXXV.

2. in omni p[ar]te h[ab]et unam p[er]sonam
3. vocat[ur] filij Dei; alij respectu ad incarnationem. 2. Sam. 7. Psal. 2. Prov. 30.
4. calij d[omi]ni in h[ab]itu. Gen. 48. XXXV.

Divina natura ab æterno est, æterno Deo ὁμοῦσι, sua propria constans personalitate, & ante Incarnationem jam tum existens, secunda S. S. Trinitatis persona, perfecta quidem, sed simplex, quia cum carne nondum unita; quod hic tanquam a libi demonstratum, præsupponimus. Humana Christi natura ab æterno non fuit, sed in plenitudine temporis à Maria virgine per obumbrationem Spiritus sancti mirabiliter concepta, propria personalitate destituta, à λόγῳ autem in suam personam imperscrutabiliter adsumta, unde à Damasceno vocatur ἐνυπόστατος, lib. 3. orth. fid. cap. 9. quia Deus verbum caro factum unam habet divinitatis carnisq; suæ personam, ut Augustinus loquitur de fide ad Petrum cap. 17. Hinc jam post Incarnationem Christus persona σύνθετος appellatur, quia duabus constat naturis, personaliter inter se unitis.

XXXVI.

Etsi autem humana natura suam habet personalitatem, seu subsistentiam à λόγῳ: non tamen hoc satis est ad exprimendam formalitatem Incarnationis, nam & aliæ creaturæ suam habent subsistentiam à λόγῳ, qui portat omnia verbo virtutis suæ, Heb. 1, 13. & in quo vivimus, movemur & sumus Act. 17. humana verò natura in Incarnatione cum λόγῳ ita est unita, ut communem cum ipso habeat personam, ita ut in Christo non sit ἄλλος καὶ ἄλλος, sed duæ in ipso naturæ, sunt ipse Christus, Dei & Mariæ Filius, & Christus est duæ illæ naturæ, quarum una absq; altera personam Christi integram minimè constituit.

XXXVII.

Falsum ergo est, quòd Jesuitæ unà cum Calvinianis docent, unionem in Incarnatione ἑὸ λόγῳ factam esse juxta subsistentiam tantum, non secundum naturam seu non secundum communicationem naturarum aut proprietatum, qua de re vide Bellarminum lib. 3. de Christo cap. 8. Sahnium in artic. 3. August. Confess. tom. 2. pag. 192. Danæum in Exam. cap. 4. pag. 82. Etsi enim rectè dicitur: unionem naturarum factam in persona Filii Dei: hoc ipso tamen natura filii à persona non excluditur, sed unà cum

C

perfo-

Boza p[er]sona in
Mompoly p.
Nec dicitur, q[ui]a
manitas à h[ab]itu
supponitur
Sine omni prop[ri]e
alteri nature
ne.
Danoy cum, che
Ræone un[de]m[en]s
in illa p[er]sona in
plenitudine dicitur
T[er]tib[us]: una a. d[omi]ni
natura d[omi]ni est
c[on]sistentiam.



persona adsumtæ carni communicatur, quia hypostasis filii ab
ejus naturâ ne quidem ratione, quæ in re fundetur, differt. Ideo
Scriptura de hoc mysterio loquens, præcisè naturarum mentio-
nem facit, ut *Coloss 2, 9*, tota plenitudo deitatis habitat in Chri-
sto corporaliter, & in nostro textu: Deus manifestatus est in
carne.

XXXVIII.

In hæc divinissimâ incarnatione totalis facta est divinæ &
humanæ in Christo naturæ unio. Non enim parti τὸ λόγος ad-
hæret caro: quia (1.) λόγος non habet partem extra partem,
(2.) hac ratione ex incarnatione nuda fieret ὁ θεὸς ἰσως, seu ὁ θεὸς
ἰσως; sed quemadmodum Filius Dei totus apud patrem, & si-
mul totus est in utero virginis; totus in cælo, totus in terra, to-
tus in cruce, & totus in inferno, ut Augustinus loquitur: ita et-
iam totus incarnatus est, ita ut tota plenitudo deitatis in car-
ne habitet, quemadmodum Damascenus ex *cap. 2. Coloss.* lo-
quitur.

XXXIX.

Inepta ergo sunt similia, quibus Adversarii ad explican-
dum Incarnationis mysterium utuntur, quasi caro sit in λόγος,
quemadmodum Antuerpia est in parte aliqua Oceani, gemma
in parte annuli, ut Calviniani loquuntur; vel quasi verbum di-
vinum prorsus instar magnæ arboris ramusculum humanæ na-
turæ susceperit, aut quasi humanitas in Verbo existat, sicut bra-
chium in corpore, aut ut Sol in globo, ut *Bellarminus* loquitur
lib. 3. de Christo cap. 8. & 17.

In his ceptis un-
ius huius in
ro, non in ta in
stus in huius
hinc in; non un-
in huius de alio
iustis

XI.

Falsum etiam est, quod λόγος dicunt ita incarnatum, ut
etiam sit extra suam carnem. Nam in creaturis quidem aliis
ita Deus est, ut sit etiam extra eas, sed in propriâ carne sua ita est,
ut nusquam sit extra eam. Ubique enim jam λόγος est, ibi
incarnatus est, quia caro λόγος intra ipsam divinitatis filii hypo-
stasin adsumta est, mutuaque naturarum ἐπιχώρησις, immigra-
tio & permeatio, ut Damascenus loquitur, in incarnatione fa-
cta. Unde Patres dicunt, humanam Christi naturam λόγος to-
tum

tum capere per *ὑπεχώρησιν* & indisgregabilem perpetuamque in
assumptā naturā immanentiam, *Iren. lib. 3 cap. 18. Origenes lib. 3. ὑπε
ἀρχῶν cap. 10.* Et ita semper verum est, quod Paulus in Aphoris-
mo nostro dicit, Deum (*λόγον*) manifestatum esse in carne, quia
nusquam extra carnem suam reperitur.

XLI.

Et quanquam hæc manifestatio, seu incarnatio facta est
in utero beatæ virginis, non alibi; terminus tamen adsumptio-
nis non fuit uterus virginis, sed ipsa purissima *ἡ λόγος* hypostasis,
citra omnem loci aut localitatis respectum, quæ causa est, quod
neque Incarnatio, nec Unio dicenda est localis, quia *in loco* qui-
dem, sed non *in locum* facta fuit assumptio.

XLII.

Hinc duplex oritur carnis assumptæ existentia: una *localis*,
respectu naturalium suarum proprietatum, quo respectu in in-
carnatione tantum fuit in utero Beatæ virginis: altera *personalis*,
respectu suæ in *λόγον* adsumptionis, & sic extra omnem loci con-
siderationem in nudissima *τῆς λόγος* hypostasi suam habet sub-
sistentiam. De quibus respectibus Damascenus scribit: respec-
tus naturalis duas naturas, tanquam essentialiter in ipsa unione
distinctas numerat, sed ita, ut numerus iste, neque *διαίρεσιν*, ne-
que *ἀλλάσειν*, neque *ἀλλοτριώσιν*, neque *ἀνατομῶ* importet in
naturis: respectus autem personalis non numerat naturas, sed
unitatem personæ attendit, quatenus ambæ naturæ in uno sup-
posito considerantur.

XLIII.

Ex hac arctissima *unione* duarum naturarum in Christo,
sequitur *communicatio*: quæ duo unā cum incarnatione simul
facta sunt. Nam cum ambæ naturæ ineffabiliter coeunt in u-
nam personam, fit relatio naturarum ad personam, quæ dicitur
unio. Cum persona utriusque naturæ communis consideratur, fit
correlatio, quæ dicitur communicatio. In unione fit progressus
à naturis ad unam personam: in communicatione à perso-
nā ad naturas. Unio notat unitatem personæ in naturis

C 2

duabus;

Subsistentia
illic ubi & extra
substantia hu-
mana, quatenus
est in unione
substantia de
& substantia hu-
mana quatenus in
filio assumptæ, et
extra locum.

duabus; communicatio communitatem naturarum in unâ personâ.

XLIV.

Est autem communicatio duplex, una naturarum, quando videlicet filius Mariæ dicitur filius altissimi, *Luc. 1, 31* Christus vocatur filius Dei vivi, *Matth. 16, 16*. filius hominis in cruce pendens vocatur filius Dei, *Matth. 27, 54*. quæ prædicatio inusitata quidem est; vera tamen seu realis, quia fundamentum ejus verum & reale est, unio nimirum naturarum in unam personam, quæ non per nudam assistentiam, sed per veram & realem ipsarum naturarum communicationem facta est. Toto pectore enim abhorremus ab illa Samosatensi voce, qui dixit, τὰς δύο φύσας πάντῃ παρὸν ἀκωινωήτως εἶναι, duas in Christo naturas in totum esse incommunicabiles.

XLV.

m. Conrad. p. 790 com. - unius nature ad gen. unius nature, cum similib. q. ubi generis tantum ad propriam, ubi generis tantum
Altera est communicatio idiomatum. Nam (i.) quemadmodum non singulæ naturæ, seorsim & per se solæ subsistunt, sed in persona tanquam in communi hypostasi: ita quoque non seorsim & per se solæ agunt, sed tota persona agit, juxta cuiusque naturæ proprietatem, cum communicatione alterius. Hinc primum oritur genus, quod veteres dixerunt ἰδιοπροσίαν, appropriationem, quando propria unius Naturæ tribuuntur personæ in concreto.

XLVI.

In hoc genere est reciproca proprietatum communicatio in personâ, hoc est divinæ proprietates prædicantur de natura humana in concreto, ut, Christus homo est Creator cæli & terræ: & vicissim proprietates humanæ prædicantur de divina natura in concreto, ut filius Dei natus est ex muliere, *Gal. 4, 3*. Ubi perinde est, sive in subjecto sit nomen totius personæ, ut Christus passus est, *1. Petr. 4, 2*. sive nomen alterutrius naturæ, ut Dominus gloriæ est crucifixus, *1. Cor. 2, 8*. autor vitæ est interfectus, *Act. 3, 15*.

XLVII.

XLVII.

Adduntur autem in hoc genere particulae distinctivae, secundum, juxta, καὶ ἄλλο &c. ad significandum, cujus naturae sit proprium praedicatum, quod sit commune alteri per communicationem, ut filius Dei factus est ex semine Davidis secundum carnem Rom. 1, 3. Christus passus est in carne 1. Pet. 4. Nasci ex semine Davidis, pati &c. proprium est humanae naturae, & tamen de divina praedicatur natura in concreto verè & realiter, quia vera & realis inter utramque naturam facta est unio.

XLVIII.

(2) Deinde, In persona Christi altera natura non quiescit otiosè, dum altera agit; neque una natura aliquid aliud agit aut patitur quàm altera, sed quia utriusque naturae unum est ὁμοίωμα, ideo utraque natura in agendo & patiando concurrunt ad producendum unum ἁποτέλεσμα, faciente & patiente unaquaque, quod suum est, cum communicatione alterius. Et haec est natura secundi generis communicationis idiomatum, ubi perinde est, sive dicas: personam Christi operari in utraque natura; sive utramque in Christo naturam operari cum communicatione alterius: modò nulla natura à communi excludatur operatione, quae vocatur actio θεαυδεμνη à Damasceno lib. 3. orthodox. fid. cap. 19.

XLIX.

Huc pertinent operationes in officiis & miraculis Christi, ut, cum sanguis Christi filii Dei nos emundare à peccatis dicitur 1. Joh. 1, 7. ubi emundatio à peccatis est proprium filii Dei, & effundere sanguinem proprium hominis, & tamen filius Dei sic emundat à peccatis, ut sanguini quoque humano hic effectus tribuatur; & sanguis ita effunditur, ut filius Dei eum effudisse piè credatur, quia quaelibet natura in hoc opere, non seorsim agit, humana humanè, divina divinè: sed Deus & homo in una existens persona operatur unitè. Unde humana Christi natura proprium τὸ λόγος ὁργάνον à patribus appellatur, per quod in officiis mediationis & miraculis operatus fuit. Vide Damascenum lib. 3. cap. 17.

C

L. (3.) De-

Beza in colleg. A
Dei passus est, non
in se respicit, sed
filius sui
collegendū est
Et postea. Acc
per antiochiam
i. e. vel dicitur
de homo respicit
Dei, in cuius
hominis, ita in
idem, sed vel dicitur
de indemonstrato
tur.



L.

(3.) Denique divina quidem Christi natura in sese perfectissima est, cui nihil dari potest: humana verò natura præter essentielles suas proprietates, quas immutabiliter retinet, in personali unione cum λόγῳ etiam divinas accipit ἐξοχὰς & præeminentias singulares, quæ aliis hominibus, quia extra hypostasin λόγῳ sunt, non competunt. Hinc oritur Tertium genus communicationis idiomatum, quod veteres vocarunt ὑπερήψωσιν καὶ μετάδοσιν τῆς θείας ἐξουσίας, quando omnipotentia, omnipræsentia, omniscientia, vis vivificandi, potestas judicandi, cultus adorationis, gloria divina, & ut uno verbo dicam omnia, tota plenitudo deitatis de adsumtâ prædicatur naturâ, propter unionem personalem: omnipræsentia quidem *Matth. 18, 20. & 28, 20. Ephes. 1, 23: 4, 10.* Omnipotentia, *Matth. 28, 18.* Omniscientia, *Col. 2, 3.* vis vivificandi *Ioh. 6, 33.* potestas judicandi *Ioh. 5, 27.* cultus adorationis *Roman. 14, 11. Phil. 2, 10.* &c. gloria insuper divina *Ioh. 17, 5.*

LI.

In hoc genere communicationis non habet locum reciprocatio. Non enim possum dicere, divina natura est mortalis, sicut dicere possum, humana natura est omnipotens, quia non est æqualitas naturarum. Divina enim est absolutè perfecta, idcirco nihil ei addi aut dari potest: humana verò est imperfecta, ideò à divina adsumente dari ei potuit ἐξουσία illa, qua super omnes creaturas evecta, & in consortium ipsius SS. Trinitatis recepta, non tantum Deus est, sed θεάνθρωπος Θ, à quo assumpta caro excludi non potest.

LII.

Etiam hoc in genere adhibentur particulaὶ καὶ ἄλλο, juxta, secundum &c. sed aliter quam in primo genere. In illo enim sunt διασπλιναὶ seu distinctivæ, notantes naturam, cujus prædicatum est proprium, ut Christus passus est *in carne*, hoc est, non in naturâ divinâ, quæ est ἀπαθής, sed in assumtâ, cujus proprium est pati: in tertio verò genere sunt causales, quæ quidem non excludunt humanam naturam à prædicatis divinis, sed causam & im-

& immediatam rationem istius participationis explicant, quod nimirum caro non ex proprietate naturæ suæ sit omnipotens, omniscia &c. sed καὶ ἄλλο, videlicet propter personalem cum τῷ λόγῳ unionem. Sed satis de primo membro aphorismi Apostolici: in quo semper cogitetur, quod sit ὁμολογῶντως μέγα μυστήριον, de quo Anselmus scribit, de incarnat. verbi cap. 2. *Siquis illud non intelligit, non immittat cornua ad ventilandum, sed caput ad venerandum. Citius enim potest in se confidens humana sapientia impingendo sibi cornua atterere, quam innitendo petram hanc convelere.*

EIII.

Secundus ita habet: DEUS (hoc enim vocabulum δὲ τοῦ κοινῶς repetendum est) *justificatus est in spiritu.* Justificari in scriptura interdum idem est, ac absolvi in iudicio Proverb. 17, 15. Esa. 5, 23. Luc. 10, 29. interdum liberari, ut Roman. 6, 7. interdum justum pronunciarī, celebrari, & numeris omnibus absolutum agnosci, debitaque justitiæ laude prædicari, Esa. 43, 26. Matth. 12, 37. Luc. 7, 29. 1. Corinth. 4, 4. Iac. 2, 24. Sic DEUS quoque justificari dicitur in sermonibus suis Psalm. 51, 6. cum laus justitiæ ejus conspicua redditur, & sapientia justificari dicitur a filiis suis Matth. 11, 19. hoc est, agnosci & debito honore affici. Eodem sensu vox justificandi hic accipitur. Spiritus hic est, quidquid sublime est in Christo supra humanam ejus naturam, quemadmodum usurpatur Romanor. 1, 4. 1. Corinth. 15, 45. 1. Petr. 3, 18.

EIV.

Sensus ergo hujus propositionis est: *Hic ipse Deus incarnatus seu in carne manifestatus, etiam justificatus est in spiritu, hoc est, cum à Iudeis pro ludibrio haberetur, & inter sceleratos reputatus ignominiosa morte tolleretur, ipsius tamen justitia ac innocentia potenter declarata fuit per miracula, per testium dissonantiam, per propriam hostium suorum confessionem, per resurrectionem ex mortuis, per ascensionem in cælos, per sessionem ad dextram patris, per dominium denique suum in medio inimicorum: quæ omnia, præter humanam ejus naturam ac conditionem sublimius quid in Christo monstrarunt.*

LV. Mem-

LV.

Membrum hoc ante oculos nostros ponit geminum statum λόγος incarnati: primus est exinanitionis, alter Exaltationis. Exinanitio est suspensio actus secundi seu plenæ usurpationis in illa majestate, quæ humanæ Christi naturæ in primo puncto unionis cum λόγος communicata fuit. Et si enim esset omnipotens homo, omniscius, rex & dominus universi, victor & destructor omnium nostrorum hostium; spontè tamen se usu majestatis istius se abdicavit, & ut pauperrimus hominum, qui non haberet aliquid proprii, quo caput suum reclinaret, inventus, inter sceleratos reputatus, captus & ligatus, consputus & ignominia gravissima affectus, ab uno injusto judice ad alium ductus, tandemque crucifixus, & inter duos latrones in ligno suspensus fuit.

de sancti hie. gal. 2. v. 1. sed quod p. vobis dicit Colimus. incarnationis p. de sancti. v. 1. 05

Ita enim exinanitionem Christi describit D. Paulus Phil. 2, 6. Christus, cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, æqualem esse Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inventus, ut homo.

LVI.

Quo in loco Exinanitio non est plena abjectio, despoliatio aut exuitio majestatis divinæ, quod enim ^{capit} λόγος semel ^{accipit} accepit, nunquam deponit: nec tantum humiliatio, qua Christus secundum carnem majestatem in incarnatione à λόγος acceptam non quidem aperte & palam; occultè tamen & latenter usurpaverit, ut nonnulli volunt; sed est realis evacuatio usus, seu actus secundi, quo filius hominis id, quod per majestatem communicatam facere potuit, facere tamen noluit, non tantum, ut finem suæ incarnationis, hoc est, passionem & mortem salutis nostræ causa in se susceptam adsequeretur, sed &, ut pro lapsu Adamitico plenè nostro loco satisfaceret. Quemadmodum enim primus Adam similis esse voluit Deo; ita secundus Adam non rapinam arbitratus est, æqualem esse Deo, hoc est, divinam suam majestatem jactare, eamque æqualiter, ut Deus, usurpare semper noluit, sed quasi eam non haberet, usum ejus suspendit, & vilissimo homini, imò vermi & non homini Psal. 22. adsimilatus fuit.

LVII. Hæ



LVII.

Ita vocabulum κενώσεως, quo Paulus utitur, in scriptura usurpatur, non de abiectione rei, nec de occulta usurpatione; sed de defectu totalis usurpationis & exercitii, sive manifestè, sive occultè, ut 1. Cor. 15, 10. gratia Dei non fuit in me κενῆ, vacua, & vers. 58. labor vester non erit κενός in Domino: & 2. Cor. 6, 1. videte, ne gratiam Dei εἰς κενόν accipiatis, hoc est, ne minus rectè eam usurpetis: ita crux Christi exinaniri 1. Cor. 1, 17. gloriatio exinaniri 2. Cor. 9, 3. id est, non rectè usurpari dicitur. Sic & divina majestas in carne Christi evacuatur & exinanitur, quando Christus virtutem divinam carni inhabitantem ab operatione in humanitate & per humanitatem Christi paulisper retrahens, & retinens, (ut Ambrosius scribit) permittit naturales proprietates & reliquas adsumtas infirmitates quasi solas, in humana sua naturâ prævalere, prædominari & se exerere, ut D. Chemnitius loquitur in lib. de duab. natur. in Christo cap. 33.

LVIII.

Quod autem caro Christi divinam sibi communicatam majestatem etiam in statu Exinanitionis retinuerit, particularia illa docent exempla, in quibus ex hoc sole, sub nube miseriarum & afflictionum sponte adsumtarum latente, radii divinæ claritatis subinde resplenduerunt, ut factum est in miraculis, in quibus Christus suam manifestasse gloriam Joh. 2, 11. & virtus ab ipso exiisse legitur Luc. 5, 17.

LIX.

Ex hac nube infirmitatum emerfit humana Christi natura per statum Exaltationis, qui mox post mortem ejus initium suum habuit, ubi consummata jam erant omnia, quæ ad salutis nostræ restaurationem pertinebant, ibi non amplius opus erat retractione gloriæ ac potentiæ acceptæ ab opere, sed plenis velis ingrediebatur gloria Christi hominis, operans omnia in omnibus. Tunc enim innocentia hominis innotescebat omnibus, cum ipse etiam per resurrectionem suam ex mortuis declararetur, ut filius Dei, gloria & honore immortalis conspicuus, ad dextram Dei sedens, dominium plenè exercens in medio inimicorum suorum,

D

rum,



rum; quo respectu in Aphorismo Apostolico *justificatus spiritu* dicitur. Quæ hoc in loco, ubi brevitati studemus, de secundo membro sufficiunt.

LX.

Tertium membrum ita sonat: *Deus in carne manifestatus conspectus est ab angelis*: quod Augustinus in *Enchirid. ad Laurent.* de ministris Ecclesiæ intelligit, quasi velit Apostolus, eos indices plura cognovisse, quibus hoc mysterium de Christo illustraretur; cum quo consentit Gregorius in *Moral. lib. 33. cap. 4.* Sed rectius de beatis illis mentibus, seu angelis propriè sic dictis accipitur, non quod divinitas Christi angelos antea planè latuerit, sed, quod multa, quæ in opere Incarnationis contigerunt, Apostolorum præconio ipsis clariùs innotuerunt. Nam, ut Theodoretus scribit, super hunc locum, & repetit in dialogo, quem inscribit *ἀρετῶν*, *angeli Christum ante incarnationem suam non conspexerunt, cum Dei natura ipsis quoque in se sit invisibilis, post incarnationem autem ipsum conspexerunt in adsumta humanitate*: in quem sensum hæc verba etiam interpretatur Chrysostomus *homil. 14. in Iohan.* & Theophyl. *super cap. 1. Iohan.*

LXI.

Conspectus autem est ab Angelis in nativitate *Luc. 2, 10.* in tentatione *Matth. 4, 11.* in passione *Luc. 22, 43.* in resurrectione *Matth. 28, 2. Luc. 24, 4.* in ascensione *Act. cap. 1, 10.* qui mira quadam ratione nova quadam in Christo cognoverunt, quæ ipsis antea exactè non fuerunt cognita: idcirco in hoc mysterium *παρηύψαι*, fixis quasi oculis introspicere dicuntur *1. Pet. 1, 12.* & per Christum potestatibus & principatibus, hoc est, angelis innotuisse scribitur *multiformis Dei sapientia Eph. 3, 10.*

LXII.

Minimè autem hæc ità accipienda sunt, quasi filius Dei etiam propter angelos incarnatus fuerit, ut videlicet ipsi deitatem ejus conspicere possint in assumta carne. Nam finis incarnationis non attingit angelos, sed propter nos homines nostramque salutem descendit de cælis; ideo non angelos, sed semen Abraham assumpsisse legitur *Heb. 2, 16.* interim tamen per accidens & suo quodam modo fructus aliquis ex incarnatione Christi redundat
ad

ad angelos, & quidem dupliciter: (1.) quia ipsis multa Dei confilia manifestata fuerunt per incarnationem filii Dei, quæ antea ipsis erant occulta, ut, quod Deus in gratiam recepturus est homines, non angelos lapsos, quod per filium suum etiam homines vocaturus sit ad *ἰσθ: σίαν*, quod ex genere humano sit electurus sibi Ecclesiam, quod & gentiles quondam idolomoniæ deditos sibi sit reconciliaturus, ad quæ omnia *Eph. 3, 10.* digitus quasi intenditur.

LXIV.

In his nulla, est sanctorum angelorum invidentia, neque quod Deus non in angelorum, sed hominum natura manifestatus fuit, neq; quod relictis angelis lapsis, homines restaurantur in Christo, sed quemadmodum sunt administratorii spiritus, commissi propter eos, qui salutem hæreditabunt: ita & salutem nostram summis modis promovere studuerunt, ut ex Evangelicâ historiâ notum est.

LXV.

(2.) Quia per Christum cum angelis quoq; facta fuit reconciliatio hominum, quam ob causam Paulus scribit: omnia per Christum reconciliata esse, sive quæ in cælis sunt. sive, quæ in terris *Eph. 1, 10. Col 1, 20.* Nam amicitia angelorum ac hominum per lapsum dissoluta, & per Christi incarnationem instaurata fuit, dum (1.) id, quod in angelis lapsum est, ex hominibus redditur, ut Augustinus loquitur in *Enchir. ad Laurent. cap. 62.* & (2.) ipsi in conversione hominum latantur, & (3.) jam cum hominibus ad unum caput rediguntur, nimirum ad Jesum Christum, qui militantis & triumphantis Ecclesiæ caput est, cum extra Christum angeli boni & homines invicem separati essent; & hoc D. Paulus *Eph. 1, 10.* vocat *ἀνακεφαλαιώσασθαι ἐν χριστῷ*.

LXVI.

Manet ergo finis Incarnationis salus generis humani, & quidem universi, nullo individuo excepto, quia gaudium hoc ex incarnatione Filii Dei ortum concernit totum populū *Luc. 2, 10.* & apparuit salutaris illa gratia, omnibus hominibus *Tit. 2, 11,* qui tamen in consortium salutaris hujus gaudii etiam sanctos admittunt angelos, quibus nulla major est lætitia, quam vera

peccatorum per Christum conversio *Luc. 15, 7*. Tantum etiam de membro tertio nostri aphorismi.

LXVII.

Quartum hoc est: Deus in carne manifestatus, *prædicatus est gentibus*: hoc etiam Apostolus pro magno pietatis mysterio habet, quia Judæis absolum videbatur, qui suæ tantum genti Messiam promissum putabant, ita ut & Petrus aliquandiu hæsitaret, an cum gentibus sibi conversari liceret, donec cœlesti visione hac de re erudiretur *Act. 10, 14, 11, 2*. Paulus etiam, tanquam singulare beneficium Dei prædicat, quod gratia ipsi data sit in gentibus prædicari impervestigabiles divitias Christi *Eph. 3, 8*. Nam Christus seipsum ad gentes missum negavit *Matth. 15, 24*. Apostolosque in prima missione ad gentes ire prohibuit *Matth. 10, 5*. Quæ tamen res tantum ad prærogativam temporis, non ipsius doctrinæ de Christo pertinuit. Judæis enim primum oportuit annunciari regnum cœlorum *Act. 13, 46* a quo tamen gentes non simpliciter exclusæ erant, quia Deus non Judæorum tantum, sed & gentium Deus est *Rom. 3, 29*. & Christus etiam in lumen gentibus est positus *Esa. 49, 6*.

LXVIII.

Sunt alii, qui de Evangelio gentibus prædicando non rectè sentiunt. Quidam non credunt, gentibus in universum omnibus unquam prædicatum fuisse Evangelium, nec prædicari debuisse. Nam ut Calvinus scribit *lib. 3. Institut. cap. 24. §. 12*. *Quos in vitæ contumeliam & mortis exitium creavit, ut ira sua organa forent & severitatis exempla, eos, ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis obtæat & obstupescit*. Et Beza inde patere scribit, vocationem non esse universalem, ut omnes salventur, quoniam multi sunt, qui nunquam verbum audierunt, quibus etiam nunquam prædicatum est: in colloq. *Mompelg. p. 433*.

LXIX.

Cui errori opponimus (1.) vaticinium Christi, de prædicando Evangelio in universo mundo ante excidium Hierosolymitanum *Matth. 24, 14*. (2.) mandatum Christi, quo mittebantur in universum mundum prædicatum Evangelium omnibus creaturis
Matth.

Matth. 24, 19. cui sine dubio paruerunt. Idcirco Paulus scribit de Apostolis ex *Psal. 19.* in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, *Rom. 10, 18.*

LXX.

Hinc Hieronymus in cap. 24. *Matth.* *Se non putare, ait, aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignorat:* & Tertullianus adversus Judæos censet: *Credidisse Christo Getulorum varietates, & Maurorum multos fines, & Britannorum inaccessa Romanis loca, & Sarmatarum & Dacorum, & Germanorum & Scytharum, & abditarum multarum gentium & provinciarum, & Insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare non possumus.*

LXXI.

Alii credunt quidem, Evangelium prædicandum fuisse universis gentibus, sed hoc non nisi ad finem mundi referunt. In qua sententia est Augustinus *Epist. 80. ad Hesyrium,* ubi scribit: *Quod putat venerabilitas tua, jam hoc (ut Evangelio universus mundus impleatur) per Apostolos factum, non ita esse, certis documentis probavi. Sunt enim apud nos, hoc est, in Aþrica, barbara innumerabiles gentes, in quibus nondum esse prædicatum Evangelium, ex ijs, qui ducuntur inde captivi, & Romanorum servituti jam miscentur, quotidie nobis addiscere in promptu est. Ejusdem sententiæ sunt Pontificii, qui universalem Evangelii prædicationem ad tempora fictitii sui Antichristi reservant, qua de re vide Bellarminum *lib. 3. de Pontif. Rom. cap. 4.* Barradium *tom. 3. Harm. Evang. lib. 9. cap. 3.**

LXXII.

Sed hæc opinio facile refutatur, partim ex iis, quæ jam diximus de vaticinio & mandato Christi; partim ex epistola ad *Coloss. 1.* ubi scribit Apostolus, jam tum suo tempore, quod incidebat in annum Christi quasi 74. Evangelium prædicatum esse in universo orbe, & fructificasse; partim etiam ex aphorismo nostro, ubi scribit Paulus, jam tunc Deum in carne manifestatum fuisse gentibus, quanquam non addat, omnibus, initium tamen jam tum factum fuisse universalis prædicationis inter gentes innuit. Quin & ipse tanquam Apostolus gentium ab Hierusalem usque ad Illyricum replevit omnia Evangelio Christi, *Rom. 15, 19.*

*missio enim, an gl'ia v'by facta in p'ntia p'ntia q' in v'ne v'by p'ntia, q'uo p'ntia p'ntia v'by
q' i' b'ntia v'ntia*

In quem locum scribit Theodoretus, Paulum non solum eas, quae in
recta via sitae erant gentes coluisse, sed etiam in orbem circumiisse, ac O-
rientales & Ponticas regiones, & Asiam praeterea, & Thraciam doctrinam
replevisse.

LXXIII.

Huc etiam pertinet divisio Apostolorum, cujus festum in
Romana Ecclesia d. 15. Julii celebratur, in memoriam ejus facti,
quo Apostoli post ascensionem Christi orbem terrarum inter
se distribuisse leguntur, ita ut aliqui orientem, aliqui occiden-
tem, alii Meridiem, alii Septentrionem doctrina Evangelii re-
plerent, quemadmodum historiae Ecclesiasticae scriptores refe-
runt, Euseb. lib. 3. hist. Eccles. cap. 1. & 7. Nicephorus lib. 2. hist. Eccles. cap.
38, 39, 40.

LXXIV.

Et si verò non omnes perreptarunt mundi angulos, neque
in omnibus pagis aut opidis publicam de Christo doctrinam
praedicarunt, tamen ubi praedicantis hominis praesentia defuit,
eò sonus tamen & fama pervenit, sicut pervenit opinio facta-
rum virtutum in Aegypto ad omnes gentes, teste Raab meretri-
ce, dicente Ambrosio in cap. 10. ad Roman. Alicubi etiam scripta
Apostolorum praesentiam praevenerunt, quemadmodum Pau-
lus prius ad Romanos & Colossenses literas misit, quam viva
voce eos erudivit.

LXXV.

*et si ex intentione
q' fuit universalis, q'
ut a. et q' in v'ntia
fuit particularis.
in hac conditione v'ntia
v'ntia, v'ntia d' v'ntia d'
v'ntia ad p'ntia p'ntia*

Quod autem hodie non amplius ita praedicatur universis
gentibus, non est tribuendum incuriae aut negligentiae Apo-
stolorum, qui suo tempore officium suum in universo orbe fideliter
fecerunt: multò minus Dei invidentiae, quasi ille nunquam omni-
bus filium suum innotescere voluerit, sed hominum potius in-
gratitudini & socordia, qui thesaurum illum gratiae divinae non
custodierunt, ut ad posteros etiam potuerit transferri: neque ho-
diè curam aliquam impendunt ad recuperandum hunc thesau-
rum, quam ad rem occasio ipsis in tam clara luce Evangelii non
deesset. Sed haec alibi fusius tractantur.

LXXVI.

Quintum membrum: Deus manifestatus in carne creditus
est in mundo. Sine fide Christus nobis otiosus est: ideò meritò hoc
membrum



4. ad fidem fiver factum
membrum additur Apostolicæ Christologiæ. Et sanè etiam hæc res non caret mysterio, quod doctrina de Christo, ubicunque in mundo prædicata fuit, semper apud aliquos recepta creditaque fuit, quemadmodum & Paulus scribit, Evangelium prædicatum fuisse in universo mundo, & fructificasse. Jam verò constat, fuisse aliàs hanc doctrinam gentibus stultitiam, Deus verò, qui ex lapidibus filios, & è tenebris suscitare potest lucem, corda infidelium ita flexit hac doctrina, ut abnegata impietate mysterium de Christo reciperent cum gaudio, quod Paulus passim in epistolis prædicat.

LXXVII.

Non fuit hoc opus humanarum virium, sed illuminatio Spiritus sancti per ministerium Apostolorum, per quod occulto quodam modo animos hominum ad veritatis agnitionem adduxit, quod est unum ex maximis miraculis, quo Deus doctrinam Evangelii sub initio Novi Testamenti nobilitare voluit.

LXXIIX.

Quam ad rem Christus & Apostoli interdum miracula externa adhibuerunt, quæ etiam ideo in literas relata sunt, ut credamus Jesum esse Christum filium Dei, & credentes vitam habeamus in nomine ejus, *Ioh. 20, 31.* In quem finem Christus discipulos suos hoc ornavit dono, *Mar. 16, 17.* quam ob causam miracula vocantur signa Apostoli, *2. Cor. 12, 12.* hoc est argumenta, ex quibus liquet, eos esse veros Christi Apostolos: & autor libri quæstionum V. T. (qui extat inter opera Augustini) quæst. 114. scribit: *Ut ad fidem Dei accederemus, & filium ejus incarnatum atque crucifixum crederemus, non verbis suatum est, sed rebus. Vidimus enim mortuos suscitatos, leprosos mundatos, cæco nato oculos restitutos, demonia ejecta, & simul omnes infirmitates curatas.*

LXXIX.

Postquam autem Christus jam in mundo creditus est, & doctrina Evangelii per Christum & Apostolos miraculis satis confirmata, miracula alia non sunt necessaria, qua de re locus notatu dignus extat apud Gregorium Homil. 29. in Evang. Numquidnam, fratres mei, quia ista signa non facitis, minime creditis?
Sed

*Sed hæc necessaria in exordio Ecclesie fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos, cum ar-
busta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousq; in terra radicata
videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim,
quod Paulus dicit: *Lingua in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.*
Hæc ille.*

LXXX.

Etsi verò etiam tempore Ambrosii, Augustini & aliorum patrum miracula facta sunt; non tamen ad confirmandam fidem Evangelicam necessaria fuerunt. Nam sancti Patres miracula illa narrant quidem, sed miraculis Christi minimè æquiparant, nec cuius virtute fiant, expressè affirmare audent, sed Augustinus ea vel per Deum, vel per Angelos, vel per preces martyrum fieri scribit, *lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. & 9.* Interdum etiam superstitione hominum fecit, ut Patres ex opinione populi multa miraculosa esse crederent, quæ aliam causam habebant: ideo Augustinus *lib. 20. contra Faustum cap. 21.* fatetur, *se multa tolerare, quæ facile emendari non possunt.*

LXXXI.

Ad confirmationem autem doctrinæ miracula nunquam adhibuerunt: ideo nec Augustinus aut alii Patres (qui tamen sanam habebant doctrinam) miracula ulla ediderunt, sed potius eos, qui post Evangelium in mundo creditum miracula quærent, pro hominibus prodigiosis habuerunt: Ita enim scribit Augustinus *lib. 22. de Civ. Dei, cap. 8.* *Cur nunc illa miracula, quæ prædicatis facta esse, non sunt? possem quidem dicere, necesse fuisse, prius quam crederet mundus ad hoc, ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente, non credit: & Chrysostomus Homil. 23. in Johannem: Nonne & nunc signorum petitio tentantium est? Sunt sanè & nostra hac ætate, qui quærant, quare & nunc signa non sunt? Si fidelis es, ut oportet, si Christum diligis, ut diligendus est, non indiges signis, signa enim incredulis dantur.*

LXXXII.

Quæ omnia opponenda sunt Romanensibus, qui doctrinæ nostræ non credunt, quia miraculis confirmata à nobis non fuit,

fuit, cum tamen scire deberent, nostra miracula non esse necessaria, ubi Christi & Apostolorum miracula in recenti adhuc sunt memoria: probent doctrinam nostram esse aliam à doctrina Christi & Apostolorum: sciant, etiam Pseudoprophetas & ipsum Antichristum edere miracula, vicissim Prophetas multos, Johannem Baptistam, patres quoque, non edidisse miracula, & tamen veram habuisse doctrinam, quæ in mundo jam pridem fuit credita. Quin & opus Reformationis à B. Luthero susceptum non caret miraculis, de quo jure optimo usurpare possumus illud Augustini lib. 22. de Civ. Dei, cap. 5. *Hoc nobis grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.*

LXXXIII.

Multa quoque signa spiritualia cœlestis doctrinæ reperiuntur, in doctrina Lutheri, de quibus videatur Marbachii libellus de miraculis, capite ultimo. ex quibus quidem veritatem ejus doctrinæ non probamus, nostræ tamen Ecclesiæ miracula omnia non deesse, ostendimus. Quod si ea contemseris, quia non semper incurrunt in oculos, ut sanatio ægrorum, resuscitatio mortuorum, & similia, recorderis ejus, quod Gregor. Hom. 29. in Evangel. scribit: *Nolite, fratres charissimi, amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia: sed quæ modò diximus, caritatis atq; pietatis miracula amate, quæ tanto securiora sunt, quanto & occulta, & de quibus ad Dominum etiam major fit retributio, quò apud homines minor est gloria.* Sed hac de re alibi plura.

LXXXIV.

Restat Sextum membrum nostri Aphorismi: Deus manifestatus in carne, *adsumtus est in gloriâ.* Pertinent hæc ad ascensionem Christi, qui secundum humanam naturam assumtus est in cœlum, ut angeli loquuntur, *Act. 1, 11.* qua phrasi etiam D. Marcus utitur *cap 16, 19.* Est autem ascensio Christi multis modis gloriosa, (1.) Ipsi Christo. Quia cum gloria & comitatu sanctorum angelorum adsumtus est, ad gloriosam Dei dextram collocatus, gloriâ & honore coronatus, plenè exercens jam dominium in
E medio

medio inimicorum suorum. *Psalm. 110.* Hic enim erat fructus & consequens adscensionis Christi, *Luc. 24. v. 47.* in qua tantò melior factus est angelis, quantò sublimius nomen hæreditavit, *Heb. 1. 4.* (2.) Hæc gloria etiam ad Deum patrem redundat, cujus misericordia per Christum nobis præstita postea toti mundo innotuit, cum Evangelium prædicaretur inter gentes. (3.) Gloriosa quoq; est nobis, qui abindè spem habemus subsecuturæ gloriæ in cœlestibus, quo caput nostrum præcessit: nam si sustinebimus, etiam conregnabimus, *2. Tim. 2, 11.*

LXXXV.

Negat Enjedinus hæreticus, hæc verba, *assumptus in gloriâ*, de adscensione Christi agere tribus argumentis, quæ examinanda sunt, ut adsertioni nostræ sua constet veritas. Primum, ait, quia *juxta nostram sententiam Filius Dei est ubiq; infinitus, omnipotens, & omnia replet, ideo non potuit in cœlum assumi, quia jam antè, & ab omni æternitate ibi erat.* Sed fluunt hæc ex ignorantia Scripturæ, quæ Christo duas tribuit naturas, divinam, quam habuit ab æterno, & humanam, quam adsumsit in tempore. Assumptio illa, de qua Paulus, tribuitur ei, secundum adsumtam humanam naturam, secundum quam & natus & passus est, secundum quam autem naturam descendit in inferiores partes terræ, secundum illam, etiam adscendit super omnes cœlos, ut impleret omnia, *Ephes. 4. v. 10.*

LXXXVI.

Deinde ait: *Series verborum Apostoli ostendit, prius prædicatum & creditum Deum à gentibus, & postea assumtum. Sed Christus prædicatus & creditus est à gentibus post adscensionem in cœlos:* quam exceptionem etiam urget Ostorodus *Disp. Germ. cont. Tradel.* Verum series verborum Apostoli non infringit interpretationem nostram. Notum enim est *ὅτι ἐγγλωγίω* in sacris valdè usitatam esse, ubi, si omnia juxta seriem verborum exponenda essent, mira sæpenumerò oriretur scripturæ detorsio.

LXXXVII.

LXXXVII.

Exemp' a hujusmodi ὑπερολογίας seu anticipationis, vide Gen. 10, 3. ubi recensentur filii Sem, secundum cognationes & linguas suas, & cap. 11, 1. dicitur, totam terram illo tempore fuisse unius labii ac linguæ. Sic Iosua 2, 15. narratur, exploratores fuisse per fenestram demissos, quod tamen demum post colloquium cum Rahab factum. Luc. 3, 19. dicitur, Johannem in carcere fuisse, priusquam Christus à Johanne baptisaretur, quod non nisi per ὑπερολογίαν exponi potest. Marcus etiam cap. 14, 23. per ὑπερολογίαν scribit, prius de poculo bibisse Apostolos, quam Christus dixerit: hic est sanguis N. T. Sic Paulus Rom. 13, 9. in enumeratione præceptorum Decalogi sextum præceptum præponit quinto. Quæ omnia sine ὑπερολογίᾳ scriptoribus usitata excusari non possunt. Nihil obstat, quin in nostro quoque textu ὑπερολογίαν esse dicamus.

LXXXVIII.

Adde, quod non desunt particularia exempla gentilium, quibus Christus prædicatus creditusq; fuit etiam ante adscensionem ejus in cælos, qualis erat Capitaneus ille Capernaiticus, mulier Chananæa, Samaritana, leprosus Samaritanus &c. Quin & ipse Christus interdum in fines gentium secessit, ibiq; Evangelium prædicavit, præludium faciens subsequaturæ vocationis universalis gentium ad Ecclesiam.

LXXXIX.

Denique objicitur, illud ἀνελήθη ἐν δόξῃ posse commode reddi, receptus seu assumptus est gloriose, quia ἀοαλαμβάνειν significet simpliciter, recipi, admitti, assumi, ut Act. 20, 13, 14: 23, 31. Ephes. 6, 16. & præpositio ἐν cum dativo sæpè adverbialiter exponatur, ut Rom. 1, 18. ἐν ἀδικίᾳ pro ἀδικῶς. Rom. 16, 20. ἐν ταχύῃ pro ταχέως. Sic & hoc loco exponi potest, ἐν δόξῃ adverbialiter gloriose.

XC.

Sed à posse ad esse non valet consequentia: neque enim quod interdum fit, in omnibus locis fieri debet. Negari non potest, quod ἀνελήθη de Christo in cælos sublevato usurpetur,

Marc. 16, 19. Act. 1, 3, 11, 22: cum ergo præcedentia membra aphorismi Apostolici ad Christum pertineant, utique & hoc postremum ad ipsum referendum est, neq; ad rem ullam commodius referri potest, quam ad adscensionem Christi, ubi plenè in gloriam suam ingressus est. Non ergo opus est operosa probatione, quomodo alibi verbum ἀναλαμβάνειν, & præpositio ἐν, verti possit, ubi de Deo in carne manifestato nullus est sermo, sed an eodem modo etiam hoc in textu exponi debeat, demonstrandum fuisset: id quod ab Adversariis nunquam futurum confidimus.

XCI.

Habemus ergo in textu nostro expressum testimonium Adscensionis Christi in cælum: de qua alibi ex professo agitur: nos hic ὡς ἐν παρόδῳ sententiam nostram paucis exponemus. Est ergo ista Adscensio non transparitio corporis, sed realis in altum elevatio, quia nubes Corpus Christi suscepit ex oculis discipulorum *Act. 1, 9*. In nube autem non mansit, sed assumptus est in cælum, *Marc. 16, 19. Act. 1, 11*. Cælum ergo est terminus ille, ad quem Corpus Christi in adscensione assumptum fuit.

XCII.

Cælum autem illud non est locus aliquis naturalis & creatus: nam excelsior cælis factus est, *Hebr. 7*. & adscendit super & longè super omnes cælos, *Eph. 4, 10*. quod cælum omnia locorum ἀσήμετα excedit. Est quidem cæleste quoddam ἔθ, sed quod oculus non vidit, auris non audivit, ac proinde humanis cogitationibus mensurari nequit. Est domus patris cælestis, *Ioh. 14, 2*. est lux illa inaccessibilis, in qua Pater cælestis habitat, *1. Tim. 6, 16*. ad quam Christus suo in cælos adscensu ivit, *Ioh. 16, 5, 16*.

XCIII.

Adscensione ergo illa corpus suum non Physica quadam locatione in ἔθ aliquod cæleste intulit, ita ut postea in terris corpore suo amplius præsens adesse nequeat: sed ex statu infirmitatis in plenam possessionem divinæ suæ majestatis discessit: idè etiam paulò ante adscensionem præsentiam suam in terris usq; ad consummationem seculi promisit, *Matth. 28*.

XCIV.

X CIV.

Etsi igitur physicâ & locali præsentia jam post adscensionem abest à terra, respectu naturalium suarum proprietatum; de qua præsentia intelligenda sunt dicta patrum; ut cum Augustinus scribit: *Corporaliter à nobis abesse Christum, & in loco aliquo cæli, propter veri corpori modum*, & Cyrillus, *Christum corpore suo abesse, virtute tamen omnia gubernare ait*: Præsentia tamen illocali & invisibili semper adhuc nobiscum est, etiam quoad substantiam corporis, quatenus in *ὑποστάσει τοῦ λόγου ἀδιαρέτως καὶ ἀδιασίτως* consistit.

X CV.

Præter hanc invisibilem præsentiam, quæ ab unione huius hominis cum λόγῳ dependet, ostendit scriptura in exemplis, quod etiam post suum in cælos adscensum, interdum per singularem *ὀφθαλμικῆς* gratiam oculis hominum conspectus fuit, imprimis ab Apostolo Paulo, in via Damascena *Act. 9, 17*. Corinthi *Act. 18, 9*. Ierosolymis in castris *Act. 23, 11*. cuiusmodi visiones ei promissæ fuerunt *Act. 26, 16* & ipse prædicavit *1. Cor. 9, 1*. & exinde resurrectionem mortuorum confirmavit *1. Cor. 15, 5. seqq.* Ex quibus exemplis patet, quod adscensio Christi in cælos præsentia corporis sui in terris, præsertim in Ecclesia & Sacramentis nihil obstat.

X CVI.

Huc pertinet gloriosa ejus sessio ad dextram Patris, quæ immediatè cum articulo adscensionis connectitur *Mat. 16, 17*. quæ nõ de locali aliqua collocatione corporis Christi intelligenda est, sed de plena usurpatione majestatis ac dominii super omnes creaturas: ideo Apostolo Paulo sedere ad dextram Patris idem est ac plenè dominari. Cum enim illud *Psalmi 110, 1*. *Sede à dextris meis exponeret*, ita ea verba allegavit, oportet ipsum regnare, donec ponam &c. *1. Cor. 15, 25*.

X CVII.

Dextera illa cum non sit finitum aut creatum quid, sed increata & infinita Dei majestas, ideò nec caro Christi, cum ad dexteram Dei sederet, loco alicui inclusa fuit, sed unà cum Dei

dexteram in extremis maris ubique præstò est, nuspiam inclusa, nuspiam exclusa, sed ubique ad illocalem Dei dextram omnibus creaturis præsens, omniaque indistanter replens & gubernans.

XCVIII.

Et hæc est summa carnis Christi gloria & majestas, quod unum cum Deo Patre ac λόγῳ thronum habet, per gratiam unionis: quam quidem gloriam jam in primo puncto conceptionis suæ ac unionis cum λόγῳ accepit, sed tempore exinanitionis nondum plenè usurpavit, verùm ad tempus suspendit: per assumptionem autem suam in cœlos ad sublimitatem dexteræ Dei evectus & ad plenarium illius majestatis usum ingressus est, unde fit, quod propriè & secundum phrasin scripturæ, nondum in prima unione & incarnatione, sed post ascensionem demum in cœlos ad dextram Dei sedere dicitur *Marc. 16, 17.* quemadmodum & post obedientiam suam usque ad mortem crucis demum, nomen super omne nomen accepisse legitur *Philipp. 2, 9.*

XCIX.

Quæ præ eminentia carnis Christi distinguit ejus assumptionem in cœlos à sanctis nonnullis; de quibus scriptura etiam prædicat, quod à Deo fuerint sublatis *Gen. 5, 25.* quod in paradysum translatis *Sir. 44, 15.* quod ascenderint in cœlum *2. Reg. 2, 11.* sed nemo eorum sedit ad dexteram Patris, nemo eorum adhuc est præsens in terris, nemo eorum propria virtute ascendit, nemo eundem cum Patre thronum habet: Illa enim præ eminentia manet penes solum hunc Deum in carne manifestatum, de quo solo Petrus affirmat, profectum ipsum esse in cœlum, subjectis sibi angelis potestatibus & virtutibus *1. Petr. 3, 22.* quæ omnia ad gloriam illam pertinent, in qua adsumtum ipsum esse Paulus noster prædicat.

C.

Ita nimirum apparet, quomodo in aphorismo nostro Apostolico integra Christologia succinctè proponatur; quæ aliis in locis sacrarum literarum particulatim & uberius tractatur,

DEUM

DEUM veneramur supplices, ut in hoc summo pietatis my-
sterio nos indies crescere sinat, constantes conservet, errantes
convertat, & omnibus in Christum credentibus vitam largia-
tur aeternam, per eundem Dominum ac Salvatorem nostrum Ie-
sum Christum, cui unà cum Patre & Spiritu Sancto uni-
vero Deo sit laus, honor ac imperium seculis
sempiternis. Amen.



*Præstantiss. Virtute ac Eruditione floren-
tiss. Virum*

DN. M. BALTHASAREM BALDUINUM,

Fautorem suum ac Amicum fraternè colendum,
De dicto Paulino 1. Tim. 3, 16. publicè dispu-
tantem.

Discordem thymelen iterum Balduine, Parente,
Præside, dum scandis, sidere Theologor.

Vix, vix annitor, crudos tibi tale jubenti

Pangere sub crotalo paupere versuculos.

Utrum te Studii laudem fervore calentem?

An celebrem Patrem? mens stupet icta metu.

Si Charites jungam, si Musas, per scio tanti

Umbellam me vix scribere posse viri.

More Poëtarum nil fingam. Perge, virebit

Laustua, permagni gloria magna Patris.

Vera loquor, ventura loquor; sibi Leucoris ipsa

Dete gratatur Lumine nostra novo!

Honorat hoc schediasmate

M. JOHANNES BOHEMVS
Friberg. Misnicus P. C. Cas.

*Fatum! ifa 2 Kind J
Lona am and gefai
Balduini trifter
muni mutor
Ger*



Aliud.

PRæfixam fatagit quisquis contingere metam,
Hanc collimatis suspicit ille oculis;
Sic quoniam sacræ Eusebicus scopus inclytus audit
CHRISTUS, & a sancti codicis unus apex,
Hunc tibi præfixum statuis perdocte *Magister*,
Nullum non lapidem quo potiare movens,
Nullus in ancipitem dubitas descendere hare-
nam,
Cui præstes genitor suspiciendus adest,
Ac incarnati pandit mysteria Verbi,
Quæ Pauli nobis enthea Suada refert.
Perge scopi fatagens collimantemq; manebunt
Larga brabea solo, larga brabea polo.

*M. Gottfridus Olearius
Halleus.*

F I N I S.

M. JOHANNES BOHEMUS
Freiberg. Millenst. P. O. Car.

94.A 7578

ULB Halle 3
002 715 147





f
sb.

1017

10/1999







4

39

Εξήγησις

Aphorismi Paulini
ex 1. Tim. 3. v. 16.

*Manifestè magnum est pietatis mysterium:
Deus manifestatus est in carne, justifi-
catus in Spiritu, &c.*

Publici exercitii gratiâ proposita
in Academia Wittebergensi,

PRÆSIDE

FRIDERICO BALDUI-
NO, SS. Theol. D. Professore, Pastro
& Superintendente.

Respondente

M. BALTHASARE BALDUINO,
Præsidis filio.

*Habebitur Disputatio σὺν θεῶ, d. 6. Decemb. anno 1626.
in Auditorio majori, horis matutinis.*



WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Gormanni. Anno 1626.

